

3º Privatum et absque scandalo laborare licet pauperibus qui, nisi id faciant, non habent quo se suosque alant, vestiant, etc. (S. Alph. n. 297)

4º Licet pistoribus confidere diebus festis panem et placetas, ut possint recentes ementibus praestare. Similiter lanionibus licet animalia occidere et excoriare, si pridie commode fieri non potuerit, ut solet evenire in magnis civitatibus; non autem in oppidulis, nisi sit tempore aestivo vel nisi concurrant plura festa. (S. Alph. n. 298 seqq.)

5º Licet prosequi opus quod semel coeptum non potest sine damno interrumpi, ex. gr. coquere lateres, conflare ferrum et vitrum, etc. Attamen notandum heros officinarum (usines, hauts-fourneaux) teneri sub gravi ad prosequendam diebus festis eam tantum operum partem quam sine notabili damno interrumpere non possent. Saepe enim omnia indiscriminatim prosequuntur eo tantum fine ut majus lucrum reportent.

6º Excusantur qui laborant propter necessitatem aliquam publicam vel privalam quae moram non patiatur, ex. gr. in reparanda via ferrea vel ponte, in resarcienda rota currus qui sequenti die in itinere adhibendus est, etc. (S. Alph. n. 300)

7º Sartores, sutores similesque operarii excusantur si labores suos protrahunt in diem festum quia res urget, puta ad conficiendas vestes funebres, ad satisfaciendum clienti exspectanti et aegre ampliore dilationem passuro, etc. Sed cavendum est ne se absque causa sufficienti in hanc necessitatem conjiciant, plura opera assumendo quam quae cum operariis suis ante diem Dominicam perficere possint: hoc enim facere prohibendi sunt, nisi in aliquo casu opus oblatum sine magno damno recusare nequeant. In praxi confessarius severum se exhibeat erga eos qui *consuetudinem* diebus festis laborandi contraxerunt, facilium cum iis qui *interdum* id faciunt: hi enim, non illi solent jure excusari. (Ball. P. n. 76 seqq.)

8º Agricolae opera ruralia praestare possunt ad cavendum damnum, ex. gr. e pluvia imminens, ut metere, faenum colligere, fructus decerpere, etc.

9º Probabilius etiam excusat ratio faciendi magni lucri *extraordinarii*, quia talis lucri amissio moraliter idem est ac pati magnum damnum, saltem pro iis qui se laboribus suis sustentant. (S. Alph. n. 301)

10º Licet laborare ad paranda ea quae ad publicam aliquam festivitatem necessaria sunt, ut confidere theatra, lampades illuminandae civitati disponere et similia, dummodo haec die profecto commode fieri non possint. "Ratio, quia talia signa laetitiae sunt reipublicae moraliter necessaria: et ideo permittuntur ex consuetudine." (S. Alph. n. 304)

11º Excusat etiam ratio otii vitandi, non quidem universe, ut patet, sed quando labore vitari potest periculum vere probabile labendi in

peccata: nam ad vitandum damnum spirituale licere debet quod licet ad vitandum temporale. (Ball. P. n. 82) Ideo permitte posset aliquis labor *domesticus* operario qui, nisi ita occupetur, solet adire cauponas, ineibriari, blasphemare, etc. Similiter dicendum de iis qui, cum nulla delectamenta habeant, moraliter loquendo, per solum laborem a peccatis multis abstinebunt, quales sunt carcere detenti. Si qua pia mulier de otio dierum festorum quereretur, nec tamen in molestis temptationibus causam excusantem haberet, posset ei consuli ut conficeret ornamenta pro ecclesiis indigentibus vel vestes pro pauperibus. (n. 336; cfr. Tam-bur. Decal. I. 4. n. 18)

CAPUT II.

DE MISSA DIEBUS FESTIS AUDIENDA.

§ 1. DE RATIONE QUA MISSA AUDIENDA SIT.

338. I. Praeceptum Ecclesiae obligat omnes baptizatos usum rationis habentes ut diebus Dominicis et festivis intersint Missae, i. e. sacrificio N. L. una cum caerimoniali quas eidem Ecclesia adnexuit. Constat ex antiquissima consuetudine, quam Jus Canonicum supponit potius quam promulgat. (Deer. Gratiani, p. 3. de Consecr. dist. 1. c. 62)

Nullum vero positivum praeeceptum adstringit fideles ut, his diebus, intersint aliis quibusvis functionibus sacris, puta Vesperis, contioni, etc. Ratio est, quod de tali praeecepto, neque sub gravi, neque etiam sub levi constat: quod et consuetudo hodierna, etiam in nostris regionibus, abunde confirmat. (Ball. P. n. 161 seqq.) Quare ad haec pietatis exercitia fideles consilio, non stricto praeecepto impellendi sunt. Attamen interdum dari posset obligatio etiam gravis ut aliquis interesset contioni vel catechesi, nempe si ignoraret ea quae de religione scire teneretur, et aliud medium ad haec addiscenda adhibere nollet vel non posset. Quousque haec obligatio se extendat, patebit ex antea dictis de sciendis ex necessitate medii vel praeepti. (n. 191 seqq.)

339. I. Missa *integra* diebus festis est audienda: quod praeeceptum per se sub gravi obligare consentiunt omnes; quamnam vero partem absque gravi peccato omittere liceat, multum controvertitur. Haec determinatio minus utilis est ad definiendum reatum omissionum par-

tialium de quibus se accusant poenitentes. Plerique enim peccare solent quia tardius, jam incepto Sacro, in ecclesiam veniunt : jamvero eorum omnium reatus pendet a gradu negligentiae in curanda Missae integritate, et a praevisione periculi cui se voluntarie exposuerunt eam non audiendi. Eadem determinatio magis conduceit ad sciendum quandonam omissio tanta sit ut, etiamsi involuntaria fuerit, substantiae praecepti non sit satisfactum, ideoque alterum Sacrum (si fieri potest) audiendum maneat.

Jamvero de hoc argumento haec statuisse sufficiet :

1º Graviter peccat qui saltem *tertiam Missae partem* omittit : haec enim est certe notabilis relate ad totum. Hoc tamen non omnino absolute intellegendum est. Nam probabile est, juxta multos AA. et S. Alph. (n. 310), leviter tantum peccare qui omittit totam Missam Catechumenorum, i. e. omnia usque ad offertorium exclusive : quae quandoque *tertiam Missae partem* efficiunt. Ubi autem minor quam tertia pars omittitur, jam res controvertitur, nisi omissa fuerit pars quaedam praecipua.

2º Etiamsi non omittitur pars duratione notabilis, praecepti substantia laedi potest si quis non interest iis partibus quae essentiam sacrificii constituunt, vel quae cum ea majorem propinquitatem habent. Ideo certe non satisfacit qui simul et consecrationem et communionem omittit : verum, ob controversias de essentia sacrificii, id dubium jam fit si quis alterutram tantum omittit, praesertim communionem. Cfr. Vol. II. n. 213. Insuper sat brevis omissio in canone, maxime a consecratione usque ad sumptionem, posset evadere gravis. Amplior determinatio neque ad proxim postulatur, neque cum solido fundamento fieri potest. Cfr. S. Alph. n. 310 ; Ball. P. n. 106.

3º Ex ipso praecepto clare appetet venialiter peccare eum qui, voluntarie et sine causa excusante, omittit quamvis levem Missae partem. Excipitur tamen ultimum Evangelium quod ad integratatem non pertinet.

4º Si quis advenit peracta jam consecratione, probabilius ad reliqua audienda non tenetur, eo quod, juxta sententiam omnino probabiliorem, sacrificii essentia in sola consecratione consistit. (Ball. P. n. 107) S. Alph. (n. 310), licet hanc rationem probet, opinatur contrariam sententiam in praxi tenendam esse, eo quod audiri potest pars notabilis caerimoniae sacrae ab Ecclesia praescriptae. Sed Ecclesia caeremoniis illis interesse jubet quatenus cum sacrificio conectuntur, non autem parti earum, peracto jam sacrificio. Idem S. Doctor (l. c.) censet eum qui levem Missae partem omisit teneri ad eam supplendam, si possit. Alii vero, ut Suarez (de Euch. disp. 88. sect. 2) et Ball. P. (n. 108), rectius eam obligationem negant, quia praeceptum jam substantialiter impletum est, neque res morales, praesertim cum leviores sunt, adeo rigorose sunt exigendae.

5º Certe non satisfacit qui duas dimidias Missas simultanea a duobus sacerdotibus audit. Constat ex damnatione prop. 53^a ab Innoc. XI : "Satisfacit praecepto Ecclesiae de audiendo Sacro qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit." Reapse haec propositione prorsus pervertebatur notio legis ecclesiasticae, jubentis fideles adesse *uni* sacrificio eucharistico cum caeremoniis adnexis, ejusque observatio illusoria fiebat.

6º Non videtur satisfacere is qui a duobus sacerdotibus successive duas dimidias Missas audiat, nisi audiat ab uno sacerdote usque ad consecrationem exclusive et ab altero a consecratione usque ad finem. (S. Alph. n. 311 ; Lugo, de Euch. disp. 22. n. 7 seqq.) Ratio praecipua est, quod Ecclesia praecepit interesse Missae quae sit unum et integrum sacrificium ; sed consecratio quae est in una Missa nequit uniri cum communione quae est in altera : siquidem pertinent ad duo sacrificia distincta. Multi tamen, praesertim inter veteres DD., tenebant universim satisfieri, etiamsi consecratio in una parte et communio in altera habeatur : quare plures ex eorum adversariis (ut Lugo, l. c. n. 8) eam sententiam tamquam extrinsece probabilem agnoscebant.

340. III. Ut aliquis audiat Missam, imprimis oportet ut sit *corporis praesens*. Ad hoc autem duo requiruntur et sufficiunt :

1º Ut moraliter censeri possit conjunctus iis qui in conspectu altaris versantur.

2º Ut ex signis externis, sive per visum, sive per auditum, colligere possit quid a celebrante agatur, etiamsi per accidens nihil audiat, videat aut intellegat.

Quare satisfacit qui extra templum stat eo quod ob nimiam multitudinem ingredi nequit, e signis tamen adstantium Missam sequitur : qui versatur in sacristia, etiam janua clausa, si celebrantis vocem audire potest (Lehmk. I. n. 557) ; qui in magnae basilicae capella remotissima ab altari, in quo celebratur, positus, celebrationem aliqua ratione sequi potest ; qui e domo sua, interjecta via, respicit altare, modo distantia sit parva. (S. Alph. n. 312)

341. IV. Ad audiendam Missam insuper requiritur ut audiens sit *animo praesens*. Ad hoc iterum requiritur et sufficiunt duo : intentio et attentio, scilicet :

1º Requiritur *intentio audiendi Sacrum seu ponendi actum religiosum*. Ideo non satisfacit qui Sacro interest ebrius, somno sopitus, coactus et reluctans, nec qui in ecclesia tempore Sacri moraretur ad exspectandum amicum, sine intentione audiendi Missam. (Lugo, l. c. n. 23) Idem dicendum de eo qui Sacro adasset *unice* ut fura-

retur, vel puellam inhoneste aspiceret. (Ball. P. de Leg. n. 218) Satisfacit vero qui, simul cum hujusmodi intentione graviter peccaminosa, habet intentionem audiendi Sacrum, vel qui non intendit satisfacere pracepto Ecclesiae. (n. 109)

2º *Attentionem aliquam* requiri omnes consentiunt, sed qualis esse debeat plurimum controvertitur. Probabilius sufficit attentio quam vocant *externam*, quae in eo sita est quod non fiat sub Sacro aliquod negotium vel occupatio externa, quae ex se distrahere debet mentem ab auditione Missae, qualia forent pingere, legere historiam aut quaestiones speculativas, confabulari, ludere. Ratio autem est, quod talis attentio externa, ut Vol. II. n. 59 ostendetur, sufficit probabiliter ad faciendam veri nominis orationem; a fortiori ergo sufficit ad Sacrum audiendum: siquidem, ut fatentur multi graves DD. etiam contrariae sententiae adhaerentes, Ecclesia non praecepit ut fideles sub Sacro orarent, sed tantum ut *devote illi* adsisterent. Bene et practice Lessius (Auctarium, v. Missa, cas. 2. n. 8) dicit "sufficere ut intersit cum reverentia, ut Sacrificium *praesentia sua honoret*. Unde sufficit attentio quaedam confusa, qua advertat ibi sacrificium offerri." Hanc sententiam, saltem ut probabilem, tuetur Lugo (l. c. n. 25) et S. Alph. (n. 313) satis probabilem opinatur. Alii tamen multi DD. cum S. Alph. (l. c.) opinantur probabilius requiri attentionem veram *seu internam*, ita ut qui voluntarie distractus sit per notabilem Missae partem, praceptum non impleverit. Hinc practice:

1º Non sunt de gravi peccato arguendi qui, ut fit, nunc confabulantur, nunc attendunt: haec enim ita fieri solent ut salva sit attentio illa confusa, quam sententia benignior sufficere autumat ad satisfaciendum pracepto, licet multa peccata venialia irreverentiae committantur. Similiter dicendum de iis qui voluntarie cogitationibus vanis vel etiam pravis indulgent,

2º Satisfaciunt pracepto qui, durante Sacro, organa pulsant, canunt, eleemosynas colligunt, dummodo saltem in confuso ad Missam attendant. (S. Alph. n. 317) Idem dic de semi-sopitis vel semi-ebriis.

3º Juxta plerosque AA. (S. Alph. n. 314), non satisfaciunt qui per notabilem Missae partem peccata confitentur. Ratio quam S. Alph. meliorem aestimat, haec est: quod neque externa praestaretur attentio, dum confitens adisset ut reus, non jam ut offerens sacrificium cum sacerdote. At contraria sententia tum extrinsece, tum intrinsece probabilis est, ut fuse ostendit Ball. P. (n. 89 seqq.) Nam non magis incompossibilis est cum confessione attentio aliqua confusa ad Sacrum, quam cum examine conscientiae, auditione confessionis et similibus occupationibus piis, quas plerique cum impletione pracepti componi posse concedunt. Deinde, ut advertit Lessius (l. c.), si actus ille confitendi

dirigitur ad participandum sacrificio (quod practice sane intendunt sub Sacro confitentes), huic actui intendere est implicite intendere sacrificio et illud honorare.

4º Similiter videtur satisfacere qui, dum Missa fit, apud aliud altare orat vel Viam crucis prosequitur, dummodo intendat simul Missae interesse, eamque aliqua ratione sequi possit.

5º Satisfaciunt etiam Missae inservientes qui in sacristiam recedunt ut afferant vinum, thuribulum, etc., quia, cum haec ordinentur ad officium, non censentur abesse, et toti Sacro inservierunt. (Ball. P. n. 97)

342. V. Fideles satisfaciunt pracepto *ubicumque Missae assistunt*, seu in ecclesiis proprie dictis, seu in oratoriis publicis vel semi-publicis.

Id jamdudum ex universalis consuetudine et communissima DD. sententia constabat. Nuper autem Leo XIII, per decretum S. C. R. 23 Jan. 1899, omnem ambiguitatem sustulit de oratoriis semi-publicis, declarans: "In his omnes qui sacrosanto Missae Sacrificio intersunt, pracepto audiendi Sacrum satisfacere". Eodem decreto declaravit: "Oratoria semi-publica ea esse quae, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen, non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicujus communitatis vel personarum coetus inserviunt.... Hujus generis oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas; ad Convictus et Hospitia juventuti, litteris, scientiis, aut artibus instituenda distinata; ad Nosocomia, Orphanotrophia, necnon ad Arces et Carceres; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam Missam. Quibus adjungi debent Capellae, in coemeterio rite erectae, dummodo in Missae celebratione, non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam fidelibus aditus pateat."

His oratoriis accusenda sunt ea quae erecta sunt in domibus episcoporum atque Ordinum Congregationumque Regularium: quorum jura ac privilegia sarta et tecta esse voluit Leo XIII, prout in cit. decreto declaratur.

Igitur duo tantum sunt casus in quibus fideles, auditio Sacro, Ecclesiae pracepto non satisfaciunt:

1º Ubi Missa celebratur *in oratorio stricte privato*, seu in domibus privatis existente, in quo celebrare non licet nisi ex licentia S. Sedis. (Vol. II. n. 241) Ibi enim non satisfaciunt nisi ii quibus in Indulto conceditur, nempe ii ad quos Indultum dirigitur, eorum filii et cognati vel affines ad quartum usque gradum, in eadem domo commorantes, et quoad

oratoria ruri sita, etiam hospites nobiles, quibus plures DD. accensent ad prandium invitatos : tandem familiares qui sive ad obsequia, sive ad congruum comitatum necessarii sunt. Cfr. Ball. P. nn. 119-136 et Gasparri, de SS. Euchar. I. n. 235, fuse horum Indultorum clausulas explicantes. His oratoriis accensenda non videntur privata Regularium oratoria quae ab eorum Superioribus, vi privilegiorum suorum, erecta sunt, prout a S. C. R. 22 Maii 1841 (Gard. n. 4922) responsum est de oratoriis quae ab Ordinario sint designata et approbata, atque, propter identitatem rationis, dicendum est de iisdem oratoriis, ubi Superiores Regulares legitime succedunt Ordinario in eorum designatione. (Piat, Praef. Jur. H. p. 236) Neque ab hac regula excipienda sunt oratoria quae ab iisdem Superioribus, e concessione S. Sedis, erigantur in locis profanis, ubi quidam Regulares ad tempus degunt, ut puta in villis, sicut licet Provincialibus Societatis Jesu, vi Brevis Gregorii XIII dati 3 Maii 1575. Cfr. Van Gameren, De oratoriis p. 291 seqq. Immo etiam idem censemus dicendum esse de oratoriis secundariis quae, ex speciali indulto S. Sedis erigantur (Vol. II. n. 241), nisi expresse in indulto ad quasdam personas determinatas coartaretur facultas ibidem satisfaciendi pracepto. Etenim iis oratoriis non convenit definitio oratori privati stricte talis quae in decreto 23 Jan. 1899 datur : "quae in privatis aedibus in commodum alicujus personae vel familiae ex Indulto S. Sedis erecta sunt." Ea igitur oratoria non sunt accensenda oratoriis stricte privatis, in quibus solis, juxta eit. decretum, satisfieri nequit; eo vel magis quod illud decretum late interpretandum est, utpote datum in materia quae nemini praejudicium afferat. Attamen si a Regularibus vel religiosis oratorium in loco profano erigeretur vi specialis indulti Pontificii, videntur esset quibus condicionibus haec concessio facta esset, ac proinde si in documento Pontificio quibusdam tantum personis concederetur facultas ibidem satisfaciendi pracepto, non esset haec facultas ad alias extendenda. (Piat, I. c.)*

2º Ubi Missa, ex privilegio mere personali, *in altari portatili* celebratur. Cfr. Vol. II. n. 244. Attamen satisfit quotiescumque Sacrum in tali altari celebratur ab episcopo vel in episcopi praesentis commodum. Etenim 8 Jun. 1896, Leo XIII per rescriptum S. C. R. concessit ut episcopi omnes, sive dioecesani, sive titulares, non solum "in proprio habitationis oratorio aut super altari portatili, ubicumque degant, Missam facere, aliamque in sui commodum permittere valeant, sed etiam fideles omnes, aterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, praceptum Ecclesiae adimpleant." Manifeste etiam satisfit, quando celebrantur in altari portatili, ex privilegio quod S. Sedes concedere solet Missionariis, non ut favorem personalem, sed ut Sacrum fieri possit ubi desunt oratoria et altaria fixa.

Sublata est igitur obligatio assistendi Sacro in propria paroecia, neque, in praesenti disciplina, eam instaurare episcopo licet. (Bened. XIV, de Syn. Dioec. I. 11. c. 14) Pariter e citato Decreto 23 Jan. 1899 liquet non esse penes Ordinarium impedire quominus fideles in sacellis semi-publicis pracepto ecclesiastico satisfaciant: quamquam interdum justa de causa prohibere potest ne diebus Dominicis vel festis in eadem admittantur. (Van Gameren, I. c.)

§ 2. DE CAUSIS OB QUAS LICET MISSAM OMITTERE.

343. I. Supponimus hic assistantiam Missae esse *physice* possibilem: nam de causis excusantibus quaestio nulla est ubi aliquis Missae interesse nequit, etsi maxime velit, ex. gr. quia detinetur in carcere in quo Missa non celebratur. Idem dicendum de iis qui physice nequeunt praestare assistantiam qualis ab Ecclesia requiritur, ut sunt amentes vel surdi simul ac caeci. Causae autem excusantes a multis AA. ad varia capita referuntur, puta impossibilitatem, caritatem, consuetudinem. Malum tam cum S. Alph. (n. 324) omnes reducere ad **quodlibet incommodum notabile seu mediocriter grave** in bonis animae vel corporis, propriis vel proximi. Quod Ball. P. (n. 145) explicat hac regula aequivalenti: "Excusari ab audienda Missa quempiam, quando tale timet incommodum propter quod omitteret vel omitti prudenter solent alia negotia alicujus momenti. ,

344. II. Quasdam **causas excusantes** hic enumerabimus: si quae aliae in praxi occurront, melior dijudicandi ratio non datur quam ut conferantur cum istis et, si moraliter par incommodum cernatur in hac nova excusationis causa, sufficiens declaretur.

1º Excusantur *aegroti* et *convalescentes* qui ex assistantia Missae timent non leve damnum vel moram notabilem ad convalescendum; similiter qui, cum sint debili valetudine, inde timent notabile gravamen capitum, virum lassitudinem, eruditatem, etc. In dubio, non est necessario recurrentum ad judicium medici vel parochi, sed ipse aegrotus rem dirimere potest, si idoneus est prudenti judicio de ea ferendo. (S. Alph. n. 325) Quodsi, consilio adhibito vel re perpensa, dubius haeret num causa sufficiat, potest eam habere ut sufficientem: nani manet *periculum* gravis incommodi, nec censenda est Ecclesia, utpote benigna Mater, tunc urgere obligationem. E principio generali supra posito, Ball. P. (I. c.) deducit omitti posse Missam ab iis qui, propter aegritudinis moles tam vel periculum, omittunt visitationes amicorum, cursitationes ad negotia tractanda, etc.

2º Excusantur ii qui *custodiunt domos, greges, infantes vel pueros* qui, sine incommodo vel perturbatione adstantium, in ecclesiam adduci nequeant. Similiter qui *necessarii sunt ad curandum infirmum*, vel hunc deserere non possent quin inde gravem pateretur tristitiam. Attamen, si plura Sacra in hoc loco celebrantur, videndum est num forte alternatim ad ecclesiam tendere possint maritus et uxor, herus et famulus, etc. Nam, si id fieri potest sine notabili incommodo, faciendum est. (S. Alph. n. 326)

3º Excusantur uxor, filii vel famuli qui ad Sacrum tendere non possent *sine gravi offensione mariti, parentum vel dominorum*. Rarius haec gravis offensio timenda erit uxori vel liberis jam grandioribus; crebrius id continget famulis vel operariis. Hic fere applicanda sunt quae de simili casu dicta sunt n. 337, ad 1^{um}. Nota, juxta S. Alph. (n. 327), non peccare dominum qui juberet famulos, tempore Missae, praestare ministerium quod sine notabili incommodo omitti non posset, nec patrem qui filium domi clausum teneret in poenam.

4º Excusat *iter pedestre unius leucae cum quadrante seu circiter*, etiam hominem robustum et sanum, quando et tempestas favet et viae sunt faciles; quando distantia est minor, prudenter existimandum num forte debilitas personae, asperitas tempestatis vel viarum, etc. iterum satis notabile incommodum procreent. Nec refert utrum aliquis in loco ita ab ecclesia distante commoretur an illum nuper adierit, dummodo non posuerit impedimentum quando lex jam proxime urgebat. (n. 116) Merito censem Lehmkuhl (l. n. 565) non excusari eum qui, sine novis expensis, paratum habeat currum quo vehatur; quandoque tamen in hoc medio adhibendo notabile incommodum occurtere potest.

5º Consuetudo excusat *puereras* quae se domi continent post partum per aliquod tempus, quod, iudicio S. Alph. (n. 330), esse potest sex hebdomadarum. Excusantur quoque vidua, filia, soror quae se domi continent *ratione luctus*: his S. Carolus Borromaeus in Conc. J. Mediol. unum mensem concessit; sed in nostris regionibus mos non est ut tamdiu se domi contineant. Similiter excusanda videtur puella cuius banna sunt proclamanda, si eam pudet his interesse, neque commode aliam Missam audire potest. (Ball. P. n. 155 seqq.)

6º Admittenda quoque excusatio eorum qui non audent Missae interesse, quia desunt ipsis *vestimenta* statui ipsorum convenientia, vel puellarum *ex occulta fornicatione praegnantium*. Hi tamen deberent audire Missam summo mane vel ubi pauci adstant, si ita pudorem hunc vitare possent. (S. Alph. n. 330; Ball. P. n. 156 seqq.)

7º Excusat ratio *magni et extraordinarii lucri* amittendi, sicut supra (n. 337, 9º) dictum est, ex. gr. si rhedario die Dominica offertur pingue stipendium ut per totum mane alicui praesto sit.

8º Qui Missam audire die festo non potest nisi utendo privilegio suo, probabilius ad hoc non tenetur, ex. gr. sacerdos qui non potest celebrare nisi super altari portatili vel in privato oratorio, conclavi, nave (Laymann, l. 4. tr. 5. c. 4. 3); item dominus oratorii privati qui nequit ecclesiam adire, sed commode sacerdotem invenire potest. Non enim tenetur ad utendum privilegio sibi specialiter concesso, ne favor in onus mutetur. (n. 147; Ball. P. n. 138) Contrarium tamen opinatur S. Alph. (n. 319), quia praeceptum obligat ad audiendam Missam omnes qui illud sine gravi incommodo implere valent.

N. B. Convenit inter AA. eum qui legitime impeditur quominus Missam die festo audiat, non teneri ad alias preces in compensationem recitandas, quamquam haec praxis valde commendanda est. Opinatur tamen Lehmkuhl (l. n. 567): fideles teneri ex pracepto *divino* ut aliquoties saltem, si fieri possit, Sacro intersint, ac proinde eos qui ordinarie impediuntur quominus intersint Sacro diebus festis, teneri aliquoties ad ferendum gravius incommodum ut intersint vel, si hoc nequeunt, debere eidem interesse aliquoties diebus ferialibus, v. gr. ter quaterve in anno. Sed haec, licet optima consilia sint, non videntur stricte imponenda. Nam valde dubium est fundamentum assertae illius legis divinae, nempe: "Si ex divino pracepto, ut communius fatentur, sacerdos aliquotius in anno celebrare tenetur, fideles etiam potiore jure sacrificii N. L. participari debent." Ipsa nempe obligatio sacerdotum limites probabilitatis non excedit, ut suo loco dicetur (Vol. II. n. 224), neque appetat cur fideles adstringat obligatio haec quam in sacerdotibus tantum ob specialem eorum characterem DD. multi agnoscent. Per accidens tamen possent obligari ad Sacrum quandoque per hebdomadam audiendum ii qui numquam eidem interesse possint diebus festis, vid. si id, spectatis adjunctis, videatur necessarium ne ab omni praxi religiosa alieni fiant, seu "ne omnino silvescant." (Lessius, l. c. n. 12)

SECTIO IV. — DE QUARTO PRAECEPTO.

345. Quartum Decalogi praeceptum sic effertur: "Honora patrem tuum et matrem tuam." (Exod. XX, 12) Licet directe de solis parentibus colendis agat, a DD. tamen intellegi solet quasi, indirecte saltem, comprehendat omnia officia quae a variis subditis exhibenda sunt Superioribus suis, et vice versa. Nam ratio ob quam colendi sunt parentes quadamtenus participatur ab aliis auctoritatem habentibus et munus simile parentum muneri gerentibus.